



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Simonia quotuplex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

parte pender ab intentione operantis. *ibid.* §. 2. *num.* 1.

Quoruplex sit simonia.

11. Simonia triplex est, mentalis, conventionalis & realis. *ibid.* q. 2. *n.* 1.

12. Mentalis dupliciter accipitur: primò pro nudo proposito seu desiderio committendi simoniam; & hæc nullâ ratione cum externo actu conjungitur: secundò simonia mentalis accipitur pro illa actione quæ fit quidem mente simoniaca, sed ex se, & ex circumstantiis simoniam non præfert, nec apparet exterius ulla simoniæ labes *ibid.* *n.* 2.

13. Simonia conventionalis consistit in pacto; seu conventionem expressa vel tacita, dandi vel recipiendi temporale pro spirituali: hæc simonia distinguitur à mentali ob conventionem externam, quam non includit mentalis; distinguitur verò à reali, quia non habet adjunctam rei traditionem *ibid.* *num.* 3.

14. Simonia realis est illa quæ res temporalis traditur vel accipitur pro spirituali: hæc incompleta dicitur, dum ex utraque tantum parte res traditur; completa verò, dum res ex utraque parte traditur. *ibid.* *n.* 4. & 5.

15. Datur adhuc simonia confidentialis realis, dum videlicet beneficium re ipsa renuntiatur, vel confertur cum pacto ut sibi vel alteri restitatur, vel ut sibi vel alteri pars fructuum tradatur. *ibid.* *n.* 6.

16. Simonia ficta committitur dum quis exterius promittit rem spiritualem pro temporali, vel rem temporalem pro spirituali absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam; & hæc simonia non est vere simonia, sicut fictum aurum non est aurum.

17. Sed modo dubium est, utrum mentalis simonia semper committatur tradendo temporale occasione spiritualis, vel è contra? Respondetur non committi, nisi spirituale intendatur tamquam pretium rei spiritualis, vel temporale tamquam pretium rei spiritualis, vel nisi mens seu intentio feratur in objectum simoniacum solum ob Ecclesiæ prohibitionem, seu nisi intentio sit prava. *ibid.* *n.* 9. & 10.